

niis; servile quod Romani adversus fugitivos gesserunt <et> contra duces eorum Spartacum Crixum et Oenomaum; civile quod inter se certant sicut Marius et Sylla Caesar et Pompeius Augustus et Antoni[n]us.)

5

42. Ordo belli Mariani

Inexplebilis honoris Marii cupiditas decretam [a] 1
 Syllae Ponticam provinciam voluit eripere per ro-
 gationem Sulpici tribuni plebis. Sylla indignatus con-
 tinuo ad exercitum perrexit et eum urbi admovit et 10
 in patriam ingressus Capitolium occupavit; quo ter-
 rore victus senatus Mario totique factioni eius inter-
 dixit. profecto deinde in Asiam Sylla Marius exul 2
 cum profugisset ac primum Minturnis in palude la-
 tuisset, tum coniectus in carcerem evasisset, interim 15
 Cinna et Octavius in urbe inter ob ***; hac occasione
 data Marius rediit et secum Cinna<m> adduxit. victis
 Octavianis partibus septies consul creatus saevissimis
 caedibus totam urbem funestavit. Sylla interim victo 3
 Mithridate in urbem reversus prope totam Italiam in 20
 armis invenit sub iuvene Mario Marii filio; sed omnes
 eius copias partim in Etruria ad Sacriportum partim